

No. 12. 1299. 3. Dec.

Friedrich Herr von Dresden urkundet, dass Pfarrer Wolfram in Ausführung des Testaments des verstorbenen Priesters Bernhelm für die der Stadtkirche zu Stiftung eines ewigen Lichtes zugewendeten 10 Mark ein Pfund jährlicher Gülte sammt vier Hühnern im Dorfe Gabel erkaufft hat, welche von dem Pfarreiprocurotor zum Ankauf des zu dem Lichte erforderlichen Wachses verwendet werden soll.

In nomine domini amen. Nos Fridericus dei gratia dominus de Dresden magnifici principis domini Heinrichi olim Misnensis et Orientalis marchionis iunior filius omnibus praesentes inspecturis salutem in perpetuum. Cum actus humani generis propter lapsum temporis continue transmutentur etc. Eapropter universis — cupimus esse notum, quod de decem marcis, quas dominus Bernhelmus sacerdos felicitis memoriae legavit nomine testamenti ad honorem beatae Mariae virginis et ecclesiae in Pirna pro ipsius animae remedio ad lumen perpetuum comparandum, honorabilis vir dominus Wolferamus plebanus in Pirne ipsius testator tamquam in commisso fidelis apud magistrum Adolfum notarium nostrum plebanum in Dippoldeswalde iusto emptionis et venditionis interveniente titulo emit unum talentum annuae pensionis cum quatuor pullis attinentibus, quatinus lumini perpetuo deserviat ante dicto. Id ipsum talentum in villa Gabele^{a)} infra Ottendorf et Gerhardisdorf sita per Conradum et Hertwicum rusticos eiusdem villae et ipsorum posteros de tertio dimidio manso, quos possident et possidebunt in futurum, persolvitur et olim Lodewico de Gurbewicz et suis fratribus solvebatur, qui idem talentum in manus nostras magistro Adolfo notario nostro conferendum liberaliter resignarunt. Praesentabitur et solvetur census talis primo domino Wolferamo plebano et eius successoribus qui pro tempore fuerint, per ipsum vero plebanum procuratori parochiae tunc instituto, qui ceram ad luminare suo mediante iussu et consilio comparabit. Nos igitur ob reverentiam omnipotentis dei et matris suae Mariae et remedium patris nostri animae felicissimae recordationis proprietatem praedicti talenti sive census damus donamus et conferimus praefatae ecclesiae beatae Mariae in Pirne cum pleno iure proprietatis et honore seu etiam utilitate perpetuo possidendam. In cuius donationis nostrae evidens testimonium praesens scriptum dari fecimus sigilli nostri munimine roboratum. Testes huius sunt dominus Albertus plebanus in Dresden, dominus Petrus plebanus in Plawan, Conradus Huenrich, Heynemannus de Nuwendorf, Fridericus Magister coquinae dictus nostri milites, Jacobus Magnus, Johannes de Reymarstorf, Andreas de Meideburg cives nostri in Dresden et quamplures alii fidedigni. Datum Dresden per manum dicti notarii nostri Adolfi anno domini M° CC° LXXXIX°. III°. Nonas Decembris.

Nach einer Abschrift aus dem 15. Jahrh. (Cop. 1 fol. 7) im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

a) Gabel oder Obergersdorf, Par. Ottendorf.